



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quot, & quæ sint partes citationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

test, clarâ adeò voce citatur, ut vicini etiam de ea testari possint, vel quando pro conditione personæ per litteras submissas citatur. Alia realis est, quæ fit per captivitatem & apprehensionem personæ, ut ad Iudicem adducatur, quæ realis citatio in criminalibus potissimum locum habet. Alia autem citatio simplex dicitur, quæ citatum non prius contumacem facit, quam ter facta fuerit, ita tamen ut inter singula citationum edicta certum & iustum temporis intervallum, decem scilicet dies intercesserint. Alia dicitur peremptoria, quæ pro tribus distinctis habetur, si in citatione adijciatur terminus, peremptoriè, & tantum temporis continet, quantum alie tres citationes diverso tempore facte includerent. Et demum citatio alia juris est, quomodo ipsum jus statuit tempus, intra quod se sistere quis debeat (quæ citatio, etiamsi jus terminum peremptorium non habeat, semper tamen peremptoria est) alia hominis, cum quis Iudicis mandato in jus vocatur.

Requiritur autem ad legitimam citationem primò, ut exprimat nomen & cognomen Iudicis citantis, ut citatus noscere possit, competens ille Iudex sit, vel non sit; Delegatus sit, qui una cum citatione copiam suæ delegationis transmittere debet, an Ordinarius. Secundò requiritur, ut exprimat Rei, qui citatur nomen, & cognomen, vel saltem universitas illa, quæ citatur, ut noverit citandus, quòd ad ipsum citatio pertineat. Tertio requiritur, ut contineat nomen & cognomen Actoris, ut noverit Reus non ex officio Iudicis, sed ad instantiam fieri citationem. Quarto requiritur, ut in

citatione exprimat causa, saltem innere, ob quam quis citatur, ut instruat scilicet reus, super quo conveniatur, deliberare possit, utrum litigare velit. Quintò requiritur, ut locus iudicij tribunal apponatur (nisi aliunde constet de tali loco) ut sciat scilicet citatus, ante territorij fines egrediatur Iudex, & tunc sibi locus sit, ad quem citatur. Sextò denique requiritur, ut dies certus terminus congruus comparandi in citatione exprimat, ut noverit citatus, quod dies ad quam citatur, sit iudica &c.

§. II.

Quot, & quæ sint partes citationis?

QUilibet citatio tres partes habet. Notario diligenter actis litteris mandandas. Primò mandatum iudicis, sine quo non valet citatio. Secundò ut notarius citationem sibi demandatam exponat in faciem citandi, si reperiri non possit, vel ad illius domum, si aliter reperiri non possit. Tertio ut nuntius factæ citationis factæ relationem Iudici, quæ Notario in acta referri debeat, ut de citatione facta constet, vel si Iudex præsens non adsit, soli Notario, cui relationis etiam creditur, & plena fides adhibetur præsertim in civilibus.

§. III.

A quo Iudice citatio fieri debeat, & qui citari debeant, & quis sit finis, & effectus citationis?

QUilibet Iudex competens, sive Ordinarius ille sit, sive delegatus, citare potest, cum sine citatione iudicij